

post tempora Davidis contigerunt; & Graci quidem, ut Chrysostomus, Theodoretus, & Euthymius docent, Psalmum hunc cantari in persona Machabaeorum, qui grauissimas calamitates ab Antiocho, alijsq[ue] Regibus Syriae, vel Aegypti passi sunt. Latini vero, ut Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus, volunt in hoc Psalmo exprimi voces Sanctorum Martyrum, qui crudelissimas persecutio[n]es a Romanis Imperatoribus pertulerunt. Sed conciliari possunt haec Patrum sententia, si dicamus Psalmum presentem ad utrosq[ue] pertinere, ad Machabeos, & ad Christianos: similes enim persecutio[n]es utrique passi sunt, & propter causam eandem, propter confessionem videlicet, & legem eiusdem veri Dei. Sicut enim hic Psalmus non solum pertinet ad Martyres, qui tempore Neronis passi sunt, sed etiam ad eos, qui tempore Diocletiani, qui plus ducentis annis fuit Neronis posterior; sic etiam pertinere potest ad Martyres, qui sub Antiocho Epiphane decertarunt, qui ducentis circiter annis Neronem praecepsit.

EXPLICAT. P S A L. XXXIII.

- I. Deus auribus nostris audiuiimus, Patres nostri annunciauerunt nobis.
II. Opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.

Incipit populus Dei in persecutio[n]e positus, & pro afflictione gemēs commemo[rare] magnalia, quae Deus pro fidelium suorum defensione aliquando fecit; & mirari, cur nunc eosdem fideles suos dereliquisse videatur; ut hac commemoratione, & admiratione Deum ad misericordiam flectat. Sed ideò præmisit in titulo David hic intellectu opus esse; quoniam Deus non mutatur, sed medicinā pro tempore mutat, prout populo suo ægrotanti conuenire iudicat. Deus, inquit, Propheta in persona Ecclesiæ, vel Martyrum utriusque testamenti, auribus nostris audiuiimus. Dicit autem, auribus nostris, cum satis fuisse videretur dicere, audiuiimus, vel auribus audiuiimus, ad maiorem certitudinis expressionem: quo modo S. Ioannes scribit initio

XXXIII.

primæ epistolæ, Quod vidimus oculis nostris, & manus nostra contrectauerunt: videbatur satis fuisse dicere, quod vidimus, & contrectauimus; sed magnam habet vim ad significandam certitudinem exploratā, illud, oculis nostris, manibus nostris. Ita igitur hoc loco dicunt, auribus nostris audiuiimus, id est, nos ipsi audiuiimus. Addūt continuo, unde audierint; ac dicunt, Patres nostri annunciauerunt nobis, id est, non accepimus incerto rumore ab hominibus ignotis; sed ipsi Patres nostri, viri fide dignissimi, qui nos filios suos nūquam deceperunt, ipsi, inquam, annunciauerunt nobis. Quid autem audierint a Patribus, explicant, cum addunt, Opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis; id est, annificantibus Patribus audiuiimus mirabile opus, quod fecisti in diebus eorum, ipsis videlicet videntibus; & etiam opus, quod fecisti in diebus antiquis, quod Patribus suis narrantibus ipsi Patres nostri audierunt. Non multum refert, quod in hebræo non habetur, & vnde aliqui exponunt, in diebus eorum, qui sunt dies antiqui.

Manus tua gētes disperdidit, & plantasti eos, afflixisti populos, & expulisti eos.

III

Explicat in particulari unū ex operibus mirabilibus, quod Deus fecit pro fidelibus suis in diebus Patrum, ac dicit, Manus tua gentes disperdidit, id est, potentia tua disperdidit ex terra promissionis gentes Chananæorum, & Iebuseorum, quae in illa habitabant. & plantasti eos, id est, & gentibus illis eiects, plantasti Patres nostros in illa ipsa terra. Afflixisti populos, & expulisti eos, id est, disperdidit illos manus tua, quia afflixisti grauissimis prœliis populos illarum gentium, & tandem deuictos expulisti, ut locum darent populo tuo. Ex hoc loco intelligimus, quod supra dictum est, Patres nostri annunciauerunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum; non esse accipiendum de narratione immediata, sed mediata, id est, mediante successione filiorum: